


Wd. 25.
a.







~~xxxv~~

35

CHRISTIANUS THOMASIVS
DISPUTATIONES PUBLICAS,
SUPER THESISIBUS, EXCERPTIS
EX
INSTITUTIONIBUS JURIS-
PRUDENTIÆ DIVINÆ,
IN DIALOGO DE DEFINITIO-
NE SUBSTANTIÆ
INTIMAT.



DE
DEFINITIONE SUBSTANTIÆ
DIALOGUS,

COLLOCUTORES

CARTESIANUS. PERIPATETICUS.
PHILALETHES, TIRO.

CARTESIANUS. Accessimus ad Te, Domine, ut de sponfione, quam iniimus, sis arbiter. Dum heri colloqueremur de variis rebus eruditis, inter alia etiam substantiæ injecta fuit mentio, & quæstionis Tuæ, quid sit substantia? Putavit præfens Dominus, quod jocatus saltem fueris nec serio promiseris, te aliam dare velle substantiæ definitionem, cum ipse certus sit, nullam aliam dari posse. Ego vero contrarium sustinui, teque defendi, quod haud dubiè aliam definitionem scias. Certavimus sponfione. Præmium victor auferet 6. cantharos vini Rhenani optimi, cum victo tamen ebibendi. Tu, Domine, Hospes eris, si clarè & perspicuè ostenderis, uter ex nobis pro veritate certaverit. PHILALETHES. Percepi vestram mentem, honoratissimi Domini. Percepi dignam vestro caractere, vestraque Philosophia sponfionem. Ignoscetis vero, quod nec vestro petito, nec invitationi satisfacere queam. Vos Bacchus decet. Ego Philosophiam aqueam sorbeo. Scitis insuper, quod in propositione quæstionis meæ promiserim, quod velim informationem aliorum expectare per annum, ac tum demum tentare, utrum veram, perspicuam & distinctam substantiæ definitionem tradere possim? Accedit, quod nec aptus sim ad controversiam vestram dirimendam. Lis est, ut audio, an aliam definitionem sciam? Atqui hoc ipse ego nescio. Promisi me tentaturum, an dare possim? Vides Domine Cartesiane, quod qui tentare vult, ipse de suis viribus dubitet. Expectate, donec annus elapsus sit, tum ipsimet de tentamine meo, & uter vestram

strum victor sponſionis ſit, iudicate. Interim, ſi placet, poteritis mecum aquam potare, ut poſtea vinum eò melius ſapiat,

PERIPATETICUS. Nonne prædixi Tibi, Amice, quod talem reſponſionem accepturi ſimus. Omnium Novatorum mos eſt, ut eludant ejuſmodi dilationibus eruditos alios. Elapſo anno ipſi alia effugia non deerunt. Credeſne, ſi meliorem definitionem ſubſtantiaẽ haberet, quod tamdiu ipſam celare poſſit. Abeamus & nugas has non audiamus amplius. PHILALETES. Equidem, Vir Clarifſime, quod mihi, quamdiu annus iſte nondum præterit, iras caris, cauſam non video. Levia illa ſunt dubia, quæ hæcenus propoſui. Si iſta non poteſtis concoquere, quid fiet, ſi graviora propoſiturus ſim? Quid ſi dicam, me nescire, quid ſit Corpus? quid Spiritus? Sanè quod de corpore dicitis, eſſe ens extenſum, non ſatisfacit. Si enim extenſum eſſe, eſt habere partes extrà partes, ſeu unam partem extrà aliam, totum & extenſum non different, adeoque extenſum eſſe erit affectio entis in genere, etiam ſpiritus, & igitur à ſpiritu non ſecernet corpus. Quod ſi ſecundum Philoſophiam Carteſii corpus eſt ipſa extenſio, neq; corpus erit ſubſtantia, quia extenſio eſt actio, actio eſt accidens, neq; differet amplius actio à paſſione, quod eſt omnes diſciplinæ ſubvertere, cum ſublata differentia actionis & paſſionis corruat phyſica, mathēſis, philoſophia moralis, medicina, Jurisprudētia, Theologia. Spiritum vero quod attinet, quid illud eſt, quod Peripatetici dicunt, ſpiritum eſſe ſubſtantiam incorpoream? Hoc eſt iterum dicere, quid res non ſit, cum tamen definitio debeat explicare rei eſſentiam. Veſtra vero Cartēſianorum opinio, quod ſpiritus ſit ſubſtantia cogitans, partim eodem dubio premitur, quod modo circa definitionem corporis attuli, quod, dum ſpiritum dicitis eſſe ipſam cogitationem, non poteſtis non eum inter accidentia collocare, partim in eo egregiè fallitur, quod putet, cogitationis conceptum in homine exiſtere ſine reflexione ad corpus, partim ſpiritum cum mente, & mentem cum ſpiritu confundit, cum ſint ſpiritus, qui non ſint

mens, & mens à reliquis spiritibus creaturarum inferiorum nobiliori actione quam cogitatione differat. Quodsi itaque neque corporis, neque spiritus claram & distinctam cognitionem habeamus, quid restat in philosophia, cujus claram & distinctam cognitionem habere possimus, cum spiritus & corpus sint primæ substantiæ species, cum quibus uti tota substantiæ categoria corrui, ita iis sublatis quid est in toto terrarum orbe, quod remaneat, quippe cum accidentia sine substantiis non subsistant, & sublatis rebus rerum quoque modi sublatis censerī necessario debeant?

CARTESIANUS. Atqui hoc pacto dilabemur in Scepticismum. Caveas igitur Domine, ne teipsum facias Scepticum, qui nuper & Cartesianam & Aristotelicam Philosophiam plusquam Scepticas asseruisti. PHILALETHES. Non meo periculo ista dissero, sed vestro, nec ex mea sententia, sed ad hominem, disputo ex hypothefibus vestris. Quod si non aliam corporis & spiritus definitionem exhibeatis, tentabo similiter, ut in substantia, annon alio modo & evidentius longè & verius corpus & spiritus possint definiri? CARTESIANUS. Sed quis credet, nisi prius fidem tuam liberes proponendo aliam substantiæ definitionem. Age igitur & non diutius nos & alios plures in spe ista dubia atque incerta detine. Licebit anticipare terminum præfixum. Nec melius evitare poteris aut avertere suspicionem Peripateticorum aliorumque, quasi Scepticismus & peior fortè Philosophia in doctrina tua lateat. PHILALETHES. Ego vero parum curo, quid alii odio aut aliis præjudiciis excæcati de me sentiant. Ipsam vero substantiæ definitionem quod attinet, velim expendatis, eam non ita difficilem esse, uti arbitramini. Dabit eam, qui præsens est Tiro in Philosophia. Quærite ex ipso. Per me licet.

PERIPATETICUS. Abeamus amice, nec amplius sustineamus, ut nugis iste suis abutatur patientia nostra. Quid enim istud novæ rei est, quod nos ad tirones ableget? An existimationi

tioni nostræ & auctoritati conveniens esse ducis, ut, qui docendo hæctenus longissimi temporis possessione infenuimus, nunc demum à tirone philosophiæ parum subtilis disceamus? **CARTESIANUS.** Conveniens tamen erit, ut examinando Tironem illum adversarium nostrum confundamus. Certus enim sum, quod nihil solidi aut veri simus à juvene illo audituri, contra quod non infinitas dare queamus objectiones, si à regia illa & hæctenus recepta substantiæ definitione recedere aut novam proponere audeat. **PERIPATETICUS.** Placet consilium. Tu igitur Juvenis ornatissime accede, & desideratam definitionem substantiæ exhibe.

TIRO. Facerem lubenter, Viri plurimum Venerandi, nisi certus essem, vosmet ipsos jam scire fatis, quid sit substantia. **PERIPATETICUS.** Mali corvi malum ovum. An & tu nobis illudere vis? Si sciremus, non quæreremus ex te. **TIRO.** Mihi vero facile videtur ostendi posse, vos scire definitionem substantiæ, & saltem ob præjudicia quædam à Vobis amata ignorare, quod sciatis. **PERIPATETICUS.** Deliras Juvenis. Sunt enim contradictoria, scire aliquid, & ignorare tamen, quod sciamus. Unde argumentor: Quæcunque sunt contradictoria non possunt esse in uno subjecto simul. Atqui scire & ignorare sunt contradictoria. Ergo non possunt esse simul in uno subjecto. Assume argumentum. **TIRO.** Non opus videtur in re clara. Uti enim homines sæpè plus de opibus suis sperant, quam possident, ita & sæpè ignorant divitias suas quas possident. Ita & intellectus humanus præjudiciis fascinatus sæpè veritates quas possidet, ignorat. **PERIPATETICUS.** Eja, hoc non est formaliter disputare. Responde ad argumentum. **TIRO.** Non est opus, cum alio modo vos de veritate asserti mei convincere possim. Quid enim? Annon certò persuasi estis, hunc canem esse substantiam? **CARTESIANUS.** Cave ne Sophistam agas, mi Juvenis. Misces personas. Nos sumus quærentes, tu nobis respondere debes, haudquaquam.

nos tibi. Tuum est, suspensionem Scepticismi quàm maximè evitare. Scepticorum est, semper quærere, nunquam respondere. Ita & Socrates vester agebat, perpetuò videlicet aliorum objectiones vel quæstiones suis quæstionibus eludens. Igitur omitte quæstiones illas & da nobis desideratam definitionem substantiæ. Tum nostrum erit judicare, an eandem jam ipsi possederimus, & uter ex nobis, Nos vel Doctor tuus præjudiciis laboremus? **TIRO.** Injustam suspensionem de me fovetis. Nulla alia intentione quæstionem hanc proposui, quàm ut vobis ostenderem, nos minimè esse Scepticos, cum Vobiscum asseramus, entia quædam esse substantias. Simul vero leges bonæ disputationis à vobis hæctenus observatas & præscriptas & ego observare volui, jubentes, ut quæstioni quid sit res? præmittatur quæstio an sit? Igitur ut ordine procedat disputatio nostra peto saltem à Vobis, ut exempla quædam enumeretis ex Entium classibus, quæ pro substantiis habeatis, ut videamus, an in iis conveniamus, ut adeò de iisdem rebus quæramus definitionem substantiæ, an vero opus sit, ut prius conveniamus in istis exemplis, ad quæstionem an sit? pertinentibus, circa quæ forte dissensio aliqua inter nos esse potest. Tum etiam, si occurreret in discursu nostro terminus Philosophicus in cujus expositione variare solent Doctores, similiter mihi non vertetis vitio, si, ut omnis ambiguitas tollatur, quæsierim, quo sensu illum accipiatis. Si illa saltem mihi licebunt, tum amplius desiderium vestrum non frustrabo, sed suppeditatis exemplis statim exhibebo definitionem substantiæ. **CARTESIANUS.** Non videntur, Collega honoratissime, desideria Juvenis esse injusta, igitur, si consentias, dabimus exempla substantiarum.

PERIPATETICUS. Id vero facillimè fieri poterit. Ecce, nominabo tot, quot volueris. Deus, Angelus, Homo, Canis, Planta, Lapis, Ignis, Aer, Aqua, Terra. Visne plura? **TIRO.** Equidem Vir honoratissime benignitate Tua me obruis. In istis autem

autem exemplis, nisi grave erit, separemus exempla perspicua & certa à dubiis, ut eò melius postea ex definitione exemplorum certorum judicare possimus, utrum illa dubia sint substantiæ nec ne? PERIPATEVICUS. Recte mones, sic enim & procedit Philosophus, dum *lib. 7. Metaph. cap. 2.* antequam definitionem tradat, supponit, dari substantias, & exempla manifestissima ex corporibus exhibet, ut animalia, plantas & earum partes, ac naturalia corpora, ut ignem, aquam, terram, cæterorum quoque singula & quæcunq; aut horum partes aut ex his sunt, aut partibus aut omnibus, ut cælum & ejus partes, sydera, Lunam & Solem. Tum subjungit, quod quidam corporis terminos, ut superficiem, lineam, punctum & unitatem substantias esse, & magis quam corpus & solidum putaverint. Item, alios præter sensibilia non putasse aliquid esse substantiam, quosdam plura & quæ magis sempiterna sunt, (sicuti Plato fecerit, cujus opinionem quod idæ sint substantiæ refutat *cod. Lib. 7. cap. 14.*) & ipsas species & mathematica duas substantias asseruisse, tertiam vero sensibilibus corporum substantiam. Speusippum vero etiam plures substantias fecisse, ab uno extendisse substantias ad principia cujusque substantiæ, quorum aliud sit numerorum, aliud magnitudinum, aliud animæ. Denique quosdam fuisse qui species & numeros, non autem lineas & superficies, neque cælum & sensibilia habuerint pro substantiis. Igitur necesse est, ut & nos conveniamus, quænam habeamus pro substantiis. Miror vero, quod exempla certa desideres, cum ego, Philosophum secutus certissima dederim, nempe corpora naturalia. Neque credo, Deum negabis esse substantiam, quem & inter substantias statim memorat Philosophus *lib. 7. Metaph. c. 1.* At vero si Deum substantiam esse asseris, cur de Angelo qui æque spiritualis naturæ est, dubitares? An vero fortè statuis, angelum esse accidens? TIRO. Non tam quærendum est, quid nos statuamus, quam de quo dubitent alii, qui & ipsi substantias dari asserunt. Credo enim, quod quæritis definitionem substantiæ, quæ

quæ non sit tantum ad gustum nostrum, sed & quæ appro-
bari debeat à Philosophis hodiernis reliquis, qui de substan-
tiis loquuntur. Quærenda igitur erunt exempla talia de qui-
bus alii non dubitent, ut horum definitione tradita postea de
illis circa quæ dubitatur, iudicium procedat. Uti vero hodie
neminem scio, qui neget sensibilia esse substantias, aut affirmet
entia mathematica esse substantias, ita de DEO & Angelis ad-
huc dum abstrahamus, partim quia DEUS est incomprehensibilis,
partim, quia inter Philosophos hodiernos disceptatur, utrum
DEUS sit in prædicamento substantiæ, nec ne, partim quia
spiritualia, quod tamen cum venia Domini Cartesiani dictum
sit, difficiliora cognitu & magis dubia corporalibus esse, te-
cum, Vir honoratissime & cum Philosopho sentio. Æque
de igne abstrahamus, quæ scis, Helmontium, ni fallor asse-
ruisse, ignem esse accidens. Aeris eadem erit ratio, quia
videtur & Aristoteles quæstionem hanc inter dubias retulisse,
quia in loco à te modo ex *Lib. 7. Metaph. c. 7.* adducto
ignem aquam & terram quidem inter substantias recenset,
aerem vero omittit. Igitur nisi grave erit, retineamus e-
xempla de substantiis aqueis & terrestribus. Atque ut eo cla-
rius evadat mens nostra ac consensus de exemplis, uti assumo,
hominem, animal, plantam &c. esse substantiam, ita tamen
liceat quærere, an putetis hanc plantam, & hunc hominem, an
vero plantam, & hominem, quæ genera vel species sunt, esse ta-
les substantias, quarum definitionem quæritis?

CARTESIANUS. Quæso tu, Vir Excellentissime, & pro
me respondeas. Cum enim subtilissimus Cartesius in doctrina
de substantia nihil innovaverit, tu vero tradita Aristotelis melius
noveris quam ego, hac vice quidē in Tuos discursus compromitto.
PERIPATETICUS. Cum secundum Philosophum Universalia
non sint substantiæ, *d. l. 7. Metaph. cap. 13.* intelligo hoc animal, hunc
hominem, hanc plantam &c. Neque adeo quæro quid sit notio
anima-

SUBSTANTIAE DIALOGUS.

animalis hominis, plantæ, quæ sunt nomina rerum in mente ab
entibus realibus abstractarum, sed quæro, quid sit res ipsa extra
mentem, quæ semper existit ut res singularis? TIRO. Ergo de
hoc convenimus. Videamus & de aliis. Non asseris haud dubiè,
Vir Honoratissimè, hunc acervum lapidum esse substantiam. PE-
RIPATETICUS. Minimè. Nam substantia est unum per se, at
acervus lapidum est unum per accidens. Acervus lapidum non
est substantia, sed substantiarum cumulus. TIRO. Ergone
hanc domum habes pro substantia? PERIPAT. Neque hanc,
nam & domus est unum per accidens, constans ex pluribus
substantiis, lignis, lapidibus &c. TIRO. Quid de duobus asseri-
bus conglutinatis sentis? PERIPAT. Non sunt substantia, sunt
enim unum per accidens. TIRO. Peto haud gravatim, ut illud
unum per se & per accidens distinctius explices. Cum enim
hunc lapidem habeas pro uno per se, & vero hic lapis æque par-
tes similes habeat, ex quibus sit compositus, uti corpus ex plu-
ribus asseribus conglutinatis constans, videbatur etiam hoc esse
unum per se, aut danda est inter hæc duo differentia. PERIPAT.
At vero gluten est diversæ naturæ, uniens asseres. TIRO. Ita
tamen & forma lapidis uniens partes illas materiæ lapideæ est di-
versæ naturæ à partibus ipsis. PERIPAT. At gluten tamen est
ipsa materia, formæ vero substantiales unientes partes substan-
tiæ materialis sunt principium à materia distinctum. TIRO. Ve-
reor hunc discursum placere Domino Cartesiano, observavi
enim, quod rugas in fronte contraxerit, auditis formis substan-
tialibus. Sed transeant hæc. Sufficit mihi, quod & in hoc consen-
tiamus, corpora naturalia esse unum per se, artificialia unum
per accidens, adeoque illa, non hæc pertinere ad classes sub-
stantiarum. PERIP. Rectè. TIRO. Audivi antea ex Aristotele
fuisse relatum, partes animalium & plantarum esse substantias.
Putasne igitur manum meam esse substantiam? PERIP. Nequa-
quam, quia substantia est totum quid. Ergo manus non est
substantia, sed pars substantiæ. Quod autem philosophus dicat,
partes animalium & plantarum esse substantias, intelligendum
est,

est, quatenus partes illæ sunt à toto separatae. TIRO. Igitur, manus ideò non erit substantia, quia non est à corpore separata? PERIP. Ita. TIRO. At video tamen separatim à corpore reliquo figuras pollicis, digitorum &c. PERIPAT. Sufficit, quod non videas circumcirca terminos figuræ manus. Postquam autem separata est, vides circumcirca terminos. TIRO. Igitur si ita lapidem verbi gratia dividam in duas partes, ut partibus istis prope invicem positis divisionem non videat alius, lapis iste in duas partes divisus adhuc remanebit una substantia, an evadent duæ? PERIP. Haud dubiè singulæ partes erunt singulæ substantiæ. Etsi enim tunc terminos circumcirca non videas, sufficit tamen, quod terminos circumcirca habeat, nec amplius sit cum suo toto unita. TIRO. Sed an aquam habes pro substantia? Aqua enim terminos circumcirca non habet, sed continetur termino alieno. PERIPAT. At vero substantia erit, modo terminos circumcirca habeat, sive proprios sive alienos. Vides enim guttam aquæ, dum v. g. in terram decedit, esse unum quid terminos circumcirca habens. TIRO. Igitur guttam aquæ habes pro substantia? PERIPAT. Quis dubitaret? TIRO. Sed an etiam pro substantia habes, si est in vitro aqua pleno? PERIPAT. Non, nam tùm iterum est pars substantiæ. TIRO. Cujus? Vitri? PERIP. Nugæ. Aquæ vitro contentæ. TIRO. Ergo aquam vitro inclusam pro substantia habes? PERIPAT. Habeo. TIRO. At non subsistit per se, quia est in alio, nempe in vitro. PERIPAT. Sed non tanquam in subjecto. Cum enim habeat partes unitas circumcirca terminantes circa vitri interiores superficies, habet etiam subsistentiam citra vitrum. Sed quando absolves hæc dubia puerilia? Da definitionem substantiæ promissam.

TIRO. Dabo. Substantia est ens per se subsistens. PERIP. An hæc nova definitio est? Hæc nostra est à Tuo Doctore rejecta. TIRO. Imo verò non est vestra. Aut si vestra est, non est à Doctore meo rejecta. Non negavit Doctor meus: substantiam esse ens per se subsistens, negavit, explicationem vestram

τῆ per se subsistere aptam esse ad definitionem substantiæ, cum explicueritis conceptum positivum rei positivæ per conceptum negativum. Debuissetis igitur vel τὸ per se subsistere exponere per conceptum positivum clariorem, vel istam expositionem clariorem loco novæ definitionis suppeditare. PERIPAT. Tu ergo, si vir es, istud præsta, & jactatam illam τῆ per se subsistere expositionem positivam, aut clariorem istam definitionem suppedita. TIRO. Ego juvenis sum, non Vir. Vos viri estis, vos ipsi dedistis, & adeo valde miror, quod adhuc dum ignoretis ea, quæ scitis. PERIPAT. At quando dedimus? TIRO. Modo. Vix momentum elapsum est. PERIPAT. Impudentiam Juvenis! An oblitus sum eorum, quæ mihi nunquam venerunt in mentem? Audivisti ne Collega Honoratissime, quod dederim definitionem substantiæ? CARTES. Nunquam. Ipse jam suscipari incipio, quod Juvenis nobis illudat. TIRO. Absit. Statim ex vestro discursu dispersam substantiæ definitionem colligam atque in unam summam computabo, id unice adhuc præmittens, ne in voce definitionis scrupulus remaneat: An putetis, ea quæ faciunt, ut substantia sit substantia, & quæ eam à non substantiis fecernunt, pertinere ad definitionem? PERIPAT. Quidni? explicat enim definitio quid res sit?

TIRO. Ergo ita assero vobiscum: **Substantia est ens per se seu naturaliter unitum, terminos circumcirca habens.** Assero vobiscum, hoc esse per se subsistere. Assero vobiscum, hanc definitionem esse maxime perspicuam, quia quilibet concipit, quid sit unum naturale? quid sit terminos circumcirca habere? PERIP. Ista quidem tu asseris. At vero nos nunquam diximus, istis assertionibus absolvi definitionem substantiæ. TIRO. Sed dixistis, ideò lapidem substantiam esse, & ab acervo lapidum & asseribus conglutinatis, à domo item atque non substantiis differre. Ideò dixistis manum separatam à corpore substantiam esse, junctam

non item. Ideo dixistis, guttam aquæ separatam, item aquam in vitro esse substantiam. Denique modo dixistis, ea quæ faciunt, ut substantia sit substantia, & ab aliis, quæ non sunt substantia, secernatur, dare definitionem rei.

CARTESIANUS. Verè illudimur à Tirone. Tu, Domine, approbasne hanc ejus audaciam, approbasne hanc ejus Pseudo-definitionem substantiæ. PHILALETHES. Cur non approbem definitionem, quæ cum re evidenter convenit & quam ipsi suppeditastis? PERIPAT. Quid? audesne & Tu sustinere, quod hanc definitionem dederimus? Absit. Absit. Aliud est assertio simplex, aliud est definitio. Falsissima est illa substantiæ definitio, quia sequeretur exinde, neque Deum, neque ignem, neque aerem, neque spiritum esse substantias, sequeretur, Reverendos Theologos varam litem cum Flacio instituisse, in quæstione: an peccatum sit substantia? Sequeretur, Patres Ecclesiæ sanctos sine justa causa pugnasse pro consubstantialitate. Alia absurda ut jam taceam. PHILAL. Ipsi videritis. Si hæc absurda sunt, & ex illa definitione, sequuntur, cur non meliorem suppeditastis? Me vero quod attinet, dico, quædam ex istis non esse absurda, quædam exinde non sequi. Dico: divisionem in substantiam & accidens non esse entis in genere, (ut nec e. g. totum & pars sunt affectiones entis in genere,) sed esse divisionem aut potius diversos considerandi modos in corporibus terraqueis. CARTES. PERIPAT. Quæ novitates? Corrueret tota Philosophia nostra, notionibus substantiæ & accidentis tanquam notionibus generalissimis superstructa, si hæc admitteremus. PHILAL. Rectè facis Domine Cartesiane, quod hac parte te jungas Aristotelicis, nam definitio ista etiam mundam tuam vel efficiet finitum, vel efficiet, ut non sit substantia. PERIPAT. Igitur responde objectionibus nostris. Negamus enim & pernegamus, istam esse substantiæ definitionem. PHILAL. Ignoscetis Domini, quod hac vice ob alia negotia petito vestro satisfacere nequeam. Obtinuitis ea, cujus gratia huc venistis. Jam potestis ipsimet judicare, uter vestrum sit victor in sponione quam fecistis, Quod si tamen alia

occa-

occasione velitis dubia vestra proponere, mihi id gratissimum erit. Et offeret quidem se mox occasio talis, cum constituerim, Deo dante post finitas mundinas Lipsienses, singulis diebus Jovis horis antemeridianis à decima ad duodecimam, Respondentibus quibusdam Juvenibus Nobilissimis, Theses, quas simul Vobis exhibeo, ex Jurisprudencia Divina excerptas publicè disputare. Poteritis igitur cum aliis Viris Honoratissimis, qui in veritatem thesium istarum opponendo inquirent, dubia vestra etiam circa definitionem hanc substantiæ, & quæ alia in discursu hoc à me fuerunt asserta, proponere. Atque id quidem Vobis magis gloriosum erit, si de me publicè triumphaveritis. PERIPATET. CARTESIANUS. Accipimus conditiones. Non emanebimus. Interim Vale.

TIRO. Vidistine Domine, observationem de notione substantiæ, quam Vir Celeberrimus Dn. G. G. L. actis Lipsiensibus mense Martio hujus anni inseri curavit? PHILALETHES. Vidi. Et mallet ut dedisset Vir Celeberrimus suam de notione substantiæ definitionem. Interim valde gavisus sum, dum ejus assertiones de vi activa & nisu legi, cum penè similes hæc hyeme habuerim, ut ex dictatis meis in historiam Ecclesiasticam observationibus Tibi constabit. Verè enim vis activa ex accidentium & qualitatuum classe eximenda est, cum ab ea dependeat essentia omnium corporum. Id tamen scire mallet à Viro Celeberrimo, si occasionem eum ipso conferendi nactus sim, an putet: Materiam & corpus esse unum idemque? An putet: illam vim agendi inesse ipsi materiæ? Nisi enim cavè hic procefferimus, utilissima illa dynamices scientia, quam pollicetur, fundamento destituetur. Scis enim, quod hæctenus in dictis lectionibus ostenderim, materiam omnem esse ens mere passivum, Vim agendi autem ipsam spiritus essentiam, adeoque omne corpus constare ex materia & spiritu. Tu vero, facies quod commendavi. Id est, inquires, cum otium erit; utrum volam aut vestigium deprehendere

14 DE DEFINITIONE SUBSTANTIAE DIALOGUS.

possis, quod ullus Philosophus Græcus essentiam & substantiam dividerit; & quando apud Latinos ista divisio inceperit? inquires item; quænam sit differentia in Patrum scriptis & veterum Philosophorum inter hypostasim & substantiam seu essentiam? Multa enim hæc conducunt ad historiam Ecclesiasticam rectè atque aliter ac vulgo fieri solet, cognoscendam. TIRO. Faciam.

Quæro: Quomodo differt in loco Aristotelis in dialogo adducto punctum ab unitate? An aliquid in corpore minus est puncto?

THESES

XXIV.

THESES XLVIII.
EX
INSTITUTIONIBUS
JURISPRUDEN-
TIÆ DIVINÆ


EXCERPTÆ,
ET IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA

SUB PRÆSIDIO
CHRISTIANI THOMASII,
Jcti & P. P.

DISPUTATIONIBUS XII.
ANNO M. DC. XCIV.

PUBLICÆ PROPOSITÆ,





DISPUTATIO I.

RESPONDENTE

Dn. GUSTAVO GRANATENHIELM,
Eqvite Svecø.

- Thes.* 1. Omnes habitus theoretici, qui pro fine tantum habent speculationem, etiamsi multas veritates ostendant, ad Stultitiam pertinent, non ad sapientiam. *Dissentiunt*, communiter Philosophi. v. Lib. I. C. 1. §. 23. seqq.
2. Lex non est dictamen rectæ rationis sed jussus imperantis, obligans subjectos &c. *Dissent.* Scholastici vid. I. 1. 28.
3. Pactum nunquam obligat sine Lege. *Dissent.* Hobbesius, fontem obligationis ex Pactis deducens. Vid. I. 1. 29.
4. Deus non agit secundum Legem & Lex æterna est Figmentum Scholasticorum. *Dissent.* Scholastici. Vid. I. 1. 31.

DISPUTATIO II.

RESPONDENTE

Dn. CHRISTIANO ALBERTO Richter /
Soraviense Lusato.

1. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, etiam Chiliogonon Cartesianorum, etiam Spiritus, etiam Deus. *Dissent.* communiter, quia ignorant, quid sit corpus, quid sit Spiritus, quid sint ipsi? vid. I. 1. 51.
2. Error in dubio semper debet imputari erranti. *Dissent.* Jcti communiter, variis distinctionibus doctrinam de errore involventes, rem obscurantibus, non evolventibus. vid. I. 1. 72. II. 7. 39.

3. Dispu.





3. Disputationes de justitia commutativa & distributiva, universalis & particulari sunt grilli inutiles. *Dissent.* communiter, vid. I. 1. 106.
4. Datur dominium eminens. *Dissent.* Wittebergenses absque ulla ratione. vid. I. 1. 125.

DISPUTATIO III.

RESPONDENTE

Dn. BARTHOLOMÆO Wagner /
Noribergo-Fürthenfi.

1. Sapientia una est, ejusque partes ita coherent, ut una absque altera esse non possit. Consistit ea in quatuor momentis, in notitia hominis, Materiae, Spiritus, Dei. Quilibet ad hanc cognoscenda vocationem habet. Quod autem in Academia quatuor Facultates distinctae sint, id saltem ex ea ratione factum est, ne turbetur ordo in Lectionibus publicis. *Dissent.* communiter. confer I. 1. 164. seqq.
2. Divisio Legis divinae in moralem, ceremoniam & forensam obscura est, & communiter cum Lege morali confunditur jus Naturae & Decalogus. *Dissent.* communiter Theologi. vid. I. 2. 3.
3. Jus naturae etiam a voluntate Dei non a Sanctitate ejus antecedenter ad voluntatem ortum habet. *Dissent.* Scholastici. vid. I. 2. 7.
4. In statu integritatis uxor non fuisset sub imperio Mariti. *Dissent.* communiter Theologi. vid. I. 2. 29. conf. III. 3. 41. seqq.

DISPUTATIO IV.

RESPONDENTE

Dn. HENRICO OTTONE Bogel /
Herfordia-Westphalo.

1. In statu integritatis non fuisset Respublica. *Dissent.* cum aliis Bæclerus & D. Valent. Alberti. vid. I. 2. 37.

C

2. In

2. Infantibus non insunt prima Principia Practica per modum
Habitus connati. *Dissent. Scholastici. vid. I. 2. 67.*
3. Inepta est assertio, quicquid Gentiles sciverunt esse justum vel
injustum, id pertinet ad jus naturale. *Dissent. communiter.*
vid. I. 2. 70.
4. Omnes actiones sua natura sunt indifferentes, nec datur
actio antecedenter ad voluntatem divinam honesta vel
turpis, neq; obligatio in jure Naturæ ex objecto se diffun-
dit in Præceptum. *Dissent. Scholastici. vid. I. 2. 74.*

DISPUTATIO V.

RESPONDENTE

Dn. HENRICO OTTONE Vogel /
Herfordia-Westphalo.

1. Lex Gentium actiones Gentium inter se dirigens, non est
species juris voluntarii humani, sed juris naturalis. *Dissent.*
Grotius & Rachelius. vid. I. 2. 104.
2. Datur jus divinum positivum universale. *Dissent. Hieronymus*
Brucknerus. vid. I. 2. 119.
3. Unum est Principium Theoreticum, unum etiam Practicum,
sed hoc illi subordinatum. *Dissent. communiter, potissimum*
D. Valentinus Veltheim. I. 3. 26.
4. Via Perfectionis & Negationis in Pneumatica Scholasticorum
confundit animum de Deo meditantem. *Dissent. Scholasti-*
ci. vid. I. 3. 54.

DISPUTATIO VI.

RESPONDENTE

Dn. ENGELBERTO Dünge / Sais-
Ufflenia Lippiaco.

1. Primum Principium juris Naturalis, quod malè confunditur
cum primo Principio Practico, neque ex convenientia cum
Sanctitate divina, neque ex convenientia cum Statu inte-
gritatis,



- gritatis, sed ex sola socialitate deducitur. *Dissent.* communiter Scholastici, Alberti, Veltheim. &c. vid. I. 4.
2. Poterit Lutheranus salva Religione talia fingere, quæ Deus nobis revelavit aliter. *Dissent.* Alberti. vid. I. 4. 35.
 3. Homo ex Ratione sibi relicta non potest demonstrare, Deum externo cultu esse prosequendum. *Dissent.* communiter, potissimum Veltheim & Clar. Placcius. vid. II. 1. & append. ad Lib. II.
 4. Non omnis avtochiria jure naturæ est prohibita. *Dissent.* communiter. vid. II. 2.

DISPUTATIO VII.

RESPONDENTE

Dn. JOHANNE JACOBO Reich /
Kronweissenburgo-Palatino.

1. Nec ob Transitum negatum, nec ob Commercia interdicta, nec ob denegata Matrimonia justa Causa belli est. Unde Raptus Sabinarum defendi non potest. *Dissent.* communiter. vid. II. 6. §. 35. 44. 45.
2. Nemo obligatur injuste metum incutienti. *Dissent.* Jcti, Grotius, Uffelman, vid. II. 7. 60.
3. Falloquio, simulatione, dissimulatione uti aliquando licet, imò præceptum est. *Dissent.* communiter vid. II. 8. 40.
4. Ex juramentis nova obligatio non oritur, neque enim hic Deo quid promittitur. *Dissent.* Grot. vid. II. 9. 47.

DISPUTATIO VIII.

RESPONDENTE

Dn. GEORGIO GRIM, Saxa-
Hohnsteinensi.

1. Fuit olim Communio primæva, neque Adamus dominium accepit à Deo, neq; bona inter liberos divisit, neq; Noachus

C 2

Gen-

Gentes & Insulas. *Dissent.* communiter & Potissimum Alberti. vid. II. 10. §. 58. 61. 105. III.

2. Usucapio est etiam modus acquirendi juris Gentium, eaque sola derelictione præsumpta nititur. *Dissent.* communiter Jcti. vid. II. 10. 191.
3. Interpretatio genuina paucis atque perspicuis regulis nititur, ac vitio Doctorum multis inutilibus & falsis Regulis obscuratur, quales sunt: Favorabilia esse extendenda, Odiosa restringenda: Beneficia Principis esse latè explicanda, Statuta verò & Leges pœnales strictè: Verba in dubio, potissimum in testamentis esse propriè accipienda &c. *Dissent.* comuniter Theologi, Jcti, Clar. Placcius. vid. II. 12. & append. ad Lib. II. confer Praxin Logicæ c. 3.
4. Præceptum de conjugio ineundo & Jure Naturæ, & Jure divino positivo omnes quidem homines indefinitè, sed non singulos obligat, & cœlibatus conjugio sanctior status est. *Dissent.* communiter. Vide III. 2. 52. seq. & III. 3. 10. seq.

DISPUTATIO IX.

RESPONDENTE

Dn. MATTHIA Holzslan/
Siega Nassovio.

1. Consensu dolo elicito jure Naturali matrimonium nullum est, siue dolus afficiat matrimonii substantialia siue accidentalia, cum hanc distinctionem Jus Naturæ & in genere Jus divinum in hac quæstione ignoret. *Dissentunt* communiter. Vide III. 2. 86. & III. 3. 31. seqq.

2. Mero

2. Mero Jure Naturæ ad conjugii essentiam non requiritur, ut uxor viro continuam cohabitationem promittat, aut mariti imperio subjecta sit. *Dissentiunt* communiter. Vide III. 2. 99. seqq. III. 3. 35. seq.
3. Mero Jure Naturæ ad essentiam conjugii non requiritur, ut ad dies vitæ ineatur, jus vero divinum positivum postulat, ut conjugium regulariter sit societas indissolubilis. *Dissent.* quoad prius communiter. Vide III. 2. 116. III. 3. 49.
4. Etiam si fides in conjugio ad dies vitæ data sit, mero tamen Jure Naturæ divortia possunt fieri ob mores intolerabiles, & separatio quoad thorum & mensam perpetua salvo vinculo rationi repugnat. Neque jure divino positivo hic quicquam mutatum est. *Dissentiunt* communiter Theologi & Jcti. Vide III. 2. 135. seq. & III. 3. 67. seq.

DISPUTATIO X.

RESPONDENTE

Dn. CHRISTIANO SIGISMUNDO Richter/
Soravia Lusato.

1. Meris rationibus naturalibus non potest demonstrari omnem concubitum libidinosum, etiam ad bestialitatem, qui pertinet, aut concubinatum aut lenocinium esse prohibitum. Jus tamen positivum universale hæc omnia prohibet. *Dissentiunt* quoad prius communiter. Vide III. 2. 143. seq. 219. III. 3. 71. seq. 98.
2. Concubitus cum uxore menstruata æque horrendum crimen est ac Sodomia. *Dissent.* communiter. Vide III. 3. 75.

C 3

3. Poly-

3 Polygamia & Virilis & Muliebris mero jure naturæ non est interdicta, Jure tamen divino universali, quod & Principes stringit, graviter prohibita est. *Dissent.* communiter quoad prius membrum, & pauci quoad posterius. Vide III. 2. 200. seq. & III. 3. 76. seq.

4. Eynuchi non contrahunt conjugium eorumque conjunctio juri naturæ repugnat, non ita conjugium senum, spadonum, sterilium, item conjugium in ultimo mortis articulo. *Dissentiunt* multi Theologi & Jcti. Vide III. 2. 178. seqq.

DISPUTATIO XI.

RESPONDENTE

Dn. WILHELMO LUDOVICO MASCOSKY,
Göppinga Württembergico.

1. Nullus incestus juri naturæ repugnat. *Dissentiunt* communiter Theologi & Jcti. Vide III. 2. 220. seqq.
2. Jure divino universali prohibitus est incestus in linea recta in infinitum, in collateralis inter fratres & sorores, in linea collateralis inter personas quæ parentum & liberorum loco sunt, in infinitum. In Affinitate eadem prohibitio est, quæ in consanguinitate. *Dissent.* communiter Theologi & Jcti asserentes ex falsa sententia Rabbiorum, prohibitiones Levitici non esse extentendas ad personas ibi non nominatas, Vid. III. 3. 99. seqq.
3. Conjunctio cum comprivigna, cujus mater peperit patri tuo, est incestus jure universali prohibitus. *Dissent.* communiter Theologi & Jcti. Vide III. 3. 150. seqq.
4. Jus Divinum non nisi unum affinitatis genus agnoscit, neque conjugium vitrici cum privigni vidua juri divino repugnat. *Dissent.* multi ex Theologis. Vide III. 3. 213. seqq.

DISPU-



DISPUTATIO XII.

RESPONDENTE

Dn. MATTHIA Holzflau/
Siega-Nassovio.

1. Patria potestas quatenus juris naturalis est, nec ex jure sanguinis nec ex pacto tacito oritur, nec jus in bona liberorum infert. *Dissent.* communiter. Vide III. 4.
2. Non natura sed ambitio & metus sunt causæ constituendæ civitatis. Neque Deus est causa majestatis immediata. *Dissent.* communiter & Philosophi & Theologi. Vide III. 6. 12. seqq. & 66. seqq.
3. Delinquens obligatur ad pœnam patiendam. *Dissent.* Dn. Puffend. Vide III. 7. 67. seqq.
4. Sepeliendos esse mortuos nec jure divino universali, nec jure naturali præceptum est, nec Christianismus ad id nos obligat. *Dissent.* communiter Theologi & Juri. Vide III. 10. Sepeliri tamen mortuos in templis Juri-Naturali repugnat. *Dissent.* communiter.

F I N I S.









Ka 3755.

ULB Halle 3
003 735 060





f

sb. 201

UBA








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



XXXII
35

THOMASIIUS
S PUBLICAS,
S, EXCERPTIS
NIBUS JURIS-
E DIVINÆ,
E DEFINITIO.
ANTIAE
AT.

